

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 213. 214. & 215.) Gratiam prædeterminantem cum gratia necessitatem inferente intima affinitate conjungi probat perbella illa observatione numero quinta: quod ii, qui fatalem necessitatem inferri, seu teste, seu aperte defendunt, errorem suum gratiæ prædeterminantis umbella tegant, aut etiam nihil se ab ea diverse sentire profiteantur. Quæ duo producta Thesium nescio quarum a quibusdam Theologis Duacensibus editarum lacinia, & Leydekerii Calviniani Ministri fragmento confirmat.

Ad restim funiculum addit, vulgatum scilicet Cardinalis Perronii dictum, a Gallia purpurato Scriptore memoratum; dum Pontifici ad partes Dominicanorum inclinanti, pro physica gratiæ motione, significasse fertur, se imperatorum ab omnibus Europæ sectariis, ut huic definitio- ni subscriberent.

ANIMADVERSIO.

Egregiam sani capitis observationem! Quidni ergo Augustini doctrinam hac ipsa consideratione impetendam aggreditur? Namque pari, ac majori etiam audacia, qui gratiam necessitatem inferentem, seu teste, seu aperte defendunt, errorem Augustiniani nominis umbra tegunt, seque nihil a summo divinæ gratiæ Magistro diverse sentire profiteantur. Imo Augustiniano longe lubentius, quam Thomistico nomine gloriantur. Apæ itaque dolosas illas, ac mendaces errantium professiones, quibus familiare est, cum catholice, recteque sentientibus doctrina, sensuque conjuncti videre velle. Quidni & ego clarigationis jure contrariam observationem opponam? Quandoquidem, & Arminiani hæreseos Semipelagianæ professores, nihil se a Molinianis diverse sentire contendunt.

Janfenianos quique famosarum propositionum defensores, atque adeo potiori jure Calvinistas, Thomistico nomine per summam injuriam gloriari, eosque a gratiæ prædeterminantis professoribus procul abire, ingenue fassi sunt Societatis Theologi primæ notæ: & Danielis in iisdem promissive confundendis audaciam in antecessum repressere.

Joannes Martinez de Ripalda lib. 2. Operis adversus errores Michaelis Baii, disp. 44. sect. 5. Falluntur, inquit, aperte, qui assertores physice prædeterminationis, a Bajaniis (hoc nomine Janfenianos indigitat) non dividunt: & fallunt Bajani volentes persuadere, suam ab eorum sententia non esse diversam. Tum assignato quadruplici inter utroque discrimine: Ex his, inquit, constat Bajanos a Thomistarum sententia distare in tradenda definitione, & conditione libertatis. Quippe Thomista constantissime tenentur libertatem non posse cum necessitate antecedente componi, demtaque potestate ad utrumque indifferenti animi libertatem. Bajani vero libertatem cum necessitate antecedente conjungunt, & indifferentiam potestatis ad utrumque necessariam ad libertatem instanter explodunt, & absque potestate ad

utrumque indifferenti voluntatem humanam mere- ri, & demereri posse tenentur; nec ad hanc libertatem aliam conditionem desiderant, quam voluntariam, & spontaneam, qualis competit dilecti- oni necessariæ Dei. A quo Thomista procul recedunt. Unde frustra Bajani in sui tutelam eos sibi advocant patronos.

Franciscus Annatus in libro Romæ edito, quo tempore Janfenii causa penderet, cui titulum dedit: Janfenius a Thomistis gratiæ per se ipsam efficaciæ defensoribus condemnatus, circa quinque propositiones, quæ Romæ examinator, Scholæ Thomisticæ adversus Danielis obtrusionem causam agit, sub ipsum scriptio- nis initium. Janfeniani Theologi, inquit, seu ut errorem tegant, seu ut in eo periculo, in quo versantur, Patres Dominicanos habeant propitios, adulatoria quadam simulatione fingunt, pugnam se tantum pro gratiæ physice prædeterminante, quam vocant gratiam per se ipsam efficacem: nec aliud speculare, quam ut sarta restia sit illa doctrina, pro qua tanta contentione disputatum est, sub duobus Pontificibus in Congregationibus de Auxiliis: & quia dicuntur id aliquibus persuasisse, interesse putat, tum communis boni veritatis, quam omnes querimus; tum privatæ Thomistarum dignitatis, auctoritatisque, quam non expedit in censura damnabili propositionum implicari, ut omnes intelligant, præcipuos defensores gratiæ physice prædeterminantis, & qui causam illam ardentius egere circa tempora disputacionum, contraria omnino posuisse principia principis Janfenianis; quod, ut spero, Lector adeo perspicue intelliget ex oppositi- onis doctrinæ Thomistarum ad quinque propo- sitiones Janfenii; ut non dubitem, quin necum dicturus sit, eos, qui tam facile sibi parantur imponi a Janfenistis, alteram necessario Theo- logiam nescire, nempe vel Thomisticam, vel Jan- fenianam. Hæc ille, cui maxime procurate quin- que famosarum propositionum damnationis glo- riam tribunt Societatis Scriptores. Iis paria habet in Informatione de quinque propositionibus ex Janfenii Theologia collectis, aliisque passim libellis, sub idem ferme tempus elaboratis, ubi duodevigi- nti Thomistica, ac Janfeniana doctrinæ discrimina Lectorum oculis subjicit.

Joannes Martinus, seu (quod anagramma purum est) Antonius Moraines, in Anti-Jan- fenio pag. 708. Nulla est quinque illis propo- sitionibus ad summum Pontificem missis, ut eas specia- li censura notare dignetur, quam duo illi Ordines (Prædicatorum, & Jesuitarum) non damnent, & censura dignam judicent: nulla, cujus opo- situm sibi certum esse non profiteantur: nulla denique, quam utriusque familie Theologi, quotquot de his rebus scriperunt, non graviter in- sectati sint.

Stephanus Dechamps, lib. 2. de Hæresi Jan- feniana, disp. 3. cap. 3. Quam invidiose novi dog- matis fautores queruntur, per Janfeniani latas uni- versam S. Dominici familiam peti! Quam im- portune faciunt, eandem esse utriusque causam, nec illam Tridentinæ Synodi fulminibus percu- ti posse, quin iisdem physice prædeterminatio- nis assertores omnes ambulantur! Hoc in circulis apud imperios, & mulierculas blaterant; hoc in publicis Doctorum concertacionibus urgent accer- imo; hoc in libellis, quos tam frequenter emittunt in lucem, magno verborum apparatu, ac pompa cum omnibus expoliant. At istud tamen falsitatem omnem superat, & ab iis cum stoma- cho videtur quibus utraque opinio nota est, atque perspecta.

Et disput. 6. cap. 9. Gloriamur licet Janfenia- ni,

ni, tot se superi dogmatis patronos habere, quot physice prædeterminationis defensores exiterunt; vo- ve tamen mihi videor esse dicturus, nullos huic do- ctrinæ insidiosos reperiri, quam qui post natam Calvinii hæresim, ex S. Dominici Ordine, aliisque ejusdem sacramenti Theologis, majoris emuditionis, & ingenii laude floruerunt.

Tot illis Molinianæ Scholæ Professorum sus- fragiis nixa Schola Thomistica, Danielis insul- rus elidit; & commentitiam cum Janfenianis, & Calvinianis erroribus consonantiam abunde de- pellit, quin novis eam argumentis propulsare ne- cesse sit. Solam in iis dictorum constantiam de- sideramus, quæ minus profecto in aliquibus pau- tuit; ut plane de fide nostra, (quam laudatis Opusculis integram pronuntiantur) non ex ve- ritate, sed ex causæ commodis, & pro tempo- rum conditione statuiffe videantur. In his est Franciscus Annatus, cujus varia fortuna (ut quidam non illepidè observavit) nedum Thomis- tarum fortis, sed & fidei arbitra fuit. Dum enim Tolosæ privatus degeret, & in nos pro Scientiæ Mediæ defensione styllum exerceret, eo judice eramus filii tenebrarum, Hæretici, Cal- vinistæ: Cum vero Regiam urbem, & Aulam attigit, adversus Janfenianos depugnaturus, ejus fortunam secuta est fides nostra: nullaque in no- bis facta sententiæ mutatione, effecti fumus ex hereticis, & filiis tenebrarum, filii lucis, Cat- holicis, Orthodoxis, a Calvinianis, ac Janfenia- nis toto celo disjuncti; non utique merito, ac mutatione nostra, quæ nulla fuit, imo nec Chri- sti gratia, sed Anati vero, fideles nos ex nova- toribus, etiam non volentes, imo nec cogitan- tes effecit. Faxit Superi, ut eandem in Dani- elis gratia efficaciam experiri aliquando contin- gat; quod tunc forte fiet, si quam nunc in Thomistas iram exercet, in Calvinianos aliquan- do convertat.

Cardinalis Perronii dictum, vitidis fabulis ac- censendum ostendi tam multis vicibus, ut tædæ me, pigeatque, novam in confutando sigmento operam ponere. Optandum, ut & ipsos fabellæ buccinatores pigere aliquando posset; ut tot a me momentis convicti, repressique ab ea disse- minanda temperarent. At vereor maxime, ne diu mihi illud Augustini contra Julianum lib. 3. Operis imperfecti cap. 36. usurpare necesse sit: Toties dicere vera me piger, cum toties te dicere vana non pudeat. Tu interim, amice Lector, si verum amas, fabellæ confutationem lege lib. 3. Histo- riæ nostræ de divinis Auxiliis capp. 45. 46. 47. in Gallicis ejusdem Historiæ Vindiciis, responsio- ne 1. ad primam questionem cap. 16. in Epistola Danieli Jesuitæ inscripta, haud longe a fine.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 215. & 216.) Gratia efficaciam ex Scientiæ Mediæ directione suspensam, ubivis in Gallia, Hispania, Italia, Germania, Lusita- niæ Academicis traditam dicit: e contra gratiæ se ipsa efficacis systema, necdum communi Ca- tholicarum Scholarum calculo receptum, ante Bannefium. Quod ut probet, Calvino auctore nititur, qui hoc ipsum Theologiæ Thomisticæ caput, suum faciens, adversam illi multorum sa- culorum traditionem agnoscit, lib. 2. Institutio- Serry Tom. V.

num cap. 3. num. 10. ubi hæc habet: Volunta- tem movet Deus, non qualiter multis sæculis tradi- tum est, & creditum, ut nostræ postea sit electio- nis motioni aut obtinere, aut refragari; sed illam efficaciter efficiendo.

ANIMADVERSIO.

Pudeat Catholicum Professore, ad denigran- dos Romanæ communionis Theologos, de Fide, ac Religione optime meritos, Calvino auctore niti, eandemque uti fidem Ecclesiasticæ Traditi- onis interpretem ostentare. Gratia efficaciam multorum saeculorum Traditioni adversam dixe- rit ille; quid ad nos? Dicit fidem adjuvantem, qui tali Doctore, ac Traditionis expofitore de- lectantur: nos alium ambimus. Cur ita Calvi- nis dixerit, in promptu est: nec mirum, si probet Daniel. Idcirco enim gratiam humanæ voluntatis arbitrium efficaciter efficientem, Ma- jorum Traditioni repugnantem assertit pseudo- reformationis Architectus, quia eam liberæ ob- temperandi, aut refragandi facultati, quam multi sæculis creditam noverat, contrariam judica- vit: (qua in re amicas illi Molinianæ dexteræ conferunt.) At qui duo hæc sociari norunt, Reformatoris petulantiam cum supina Traditi- onis ignoracione conjunctam execrantur.

Quin suos ubivis defensores habeat gratiæ effi- cacia, ex Scientiæ Mediæ directione suspensa, haud ibo inficias: suis quippe rebus fat bene prospiciunt, quorum interest, ut corrafas unde- cumque discipulis, Scholæ suæ accessione haud modicam faciant. At numero illos, auctoritate, eruditione, quodque caput est, causæ meritis superare, id vero distitor. Quamquam si nu- mero cæteros vincerent, non ideo tamen melio- ri jure esse putandi forent; cum, & olim pau- cos duntaxat perfecte gratiæ intrepidus amator (Epist. ad August.) circumspiceret D. Prosper, qui suas ipsi, in promovenda Augustini doctrinas operas commodarent.

Cæterum gratiæ se ipsa efficacis systema, nec- dum in Catholicis Scholæ inductum ante Ban- nefium (hoc est, ante annum 1581. quo pri- mam ille Prudentii de Monte-major periclitati- onem repressit) nemo dicat, qui primos ad- versæ sententiæ Magistros, ac Defensores, vel obiter legerit. Dicit falsitas brevi observatione detegitur. Alterum quippe necesse est: aut gra- tiam se ipsa victicem, atque efficaciam poni, aut ejusdem efficaciam ex Scientiæ Mediæ direc- tione suspendi. Fatetur id Suarez ipse lib. 2. de Scientiæ futurorum condit. cap. 4. Semel non ad- missa Scientiæ Mediæ, ut gratiæ efficacitas con- sistat, & infallibilitas divini decreti, & divinæ prædeterminationis, debere necessario admitti præ- motionem physicam. Cujus hanc decretoriam rationem assignat: Quia infallibilis consecutio effe- ctus ex vocatione efficaci intelligi non potest, nisi aut ex physica efficaciâ, & prædeterminatione causæ, aut ex mera scientiâ. . . . Illa autem scien- tia non est alia, nisi hæc conditionata. Ecquis vero scientiam illam conditionatam, seu medium communi Scholarum calculo receptam dicere au- deat ante Bannefium? Molina ipso Bannefi amu- lo, ejusque Sodalibus illius novitatem ultro fa- tentibus; ac etiam, quod mirandum magis, de- inducta in Scholæ novitate sibi plaudentibus? Gratiam itaque prædeterminantem, ante id tem- poris, communi Scholarum assensu receptam fuisse, fatendum est.

Molina nota vox est, sub finem editæ Concor-
diæ post explicatum, ac prope latum Scientiæ
Mediæ systema, cui tota gratiæ congruæ moles
incumbit. Longior sui in hac disputatione, quam
optatam . . . Quia tamen res est magni momenti,
& valde lubrica; & hac nostra ratio conciliandi
libertatem arbitrii cum divina predestinatione, A
NEMINE, QUEM VIDERIM HUCUSQUE,
TRADITA FUIT, ideo satius hæc duxi paulo
sufius explicare, ne forte eorum pressior explicatio
efficeret, quominus mens nostra ab his, qui minus
ingenio pollent, perciperetur.

Fonseca, qui inventæ Scientiæ Mediæ gloriam
Molina invidit, tomo 3. *Metaphysicæ* lib. 6. cap.
2. quæst. 3. sect. 8. postquam excogitatum a se
ante annos triginta Scientiam Mediæ declara-
vit, ita subiungit: Unum illud scrupulum inji-
ciebat, ne hac ratione novum aliquid fortasse in-
duceretur, quod non omni ex parte cum communi
Patrum doctrina, aut diligenti Scholasticorum exa-
mine, & accurata lima conveniret. NEQUE E-
NIM QUISQUAM ERAT, qui hoc pacto li-
bertatem arbitrii nostri, cum divina præscientia aut
providentia aperte, & (ut dicitur), in terminis
conciliasset.

Vasquez 1. part. disp. 67. cap. 4. de Scien-
tia Mediæ instituto sermone, Quod enim, inquit,
antiqui Scholastici, qui hæcenus scripserunt, tan-
tum meminere simplicis scientiæ visionis, & sim-
plicis intelligentiæ, parum interest: tum quia IL-
LI DE HAC SCIENTIA SUB CONDITIO-
NE NIHIL OMNINO DISPUTARUNT . . .
Quid igitur si nos aliam ponamus, cujus ipsi men-
tionem non fecerunt, neque negarunt?

Granado 1. part. Tract. 5. disp. 3. sectione 2.
Suarezium impugnat, qui Scientiam Mediæ var-
riis D. Thomæ, veterumque Theologorum testi-
monis confirmat. Fateor, inquit, nullam ex
his testimoniis multum urgere. Cujus hæc ratio-
nem assignat: quia opinantur, scientiam futuro-
rum, cum divino decreto habuisse insalubrem, &
certissimam connexionem: hoc est, ut planius di-
cam, quia futura non Scientia Mediæ, sed no-
ticia decreto nixa cognosci contendunt. Ac tum
postea: Nec mirum est, inquit, si temporum de-
cursu aliquid a THEOLOGIS RECENTIORI-
BUS EXCOGITATUM SIT; præsertim si fir-
mis nitatur fundamentis, ut nostram hæc senten-
tiam viti persuadent multa, que subjiciemus.

Herice, 1. part. Tract. 1. disp. 7. cap. 1. v.
7. & 8. Primores, inquit, Scientiæ Mediæ patro-
ni e nostra Societate sunt. Inter eos princeps Mo-
lina . . . deinde P. Petrus Fonseca. Mox de
ipso Fonseca hæc habet: Post relata Patrum te-
stimonia satis expressa pro nostra sententia, in ad-
mirationem raptus, antiquus Theologus, ait, ad hæc
non attendisse, ET SCIENTIAM HANC E
TENEBRIS, IN QUIBUS TOT SÆCULIS
JACUIT, NON ERUISSE. At mansissa ob-
fonium vincit. Subdit quippe Valentinus He-
rice, novo illo Scientiæ Mediæ figmento men-
tem paltus. In qua ego re divinam veneror sub-
misse Providentiam, & singulare ipsius beneficium
in nostræ Religionis Magistris collatum agnosco.
Nam quo tempore duo Lutheri pestifera dogmata sa-
tanico flatu successa magnum seditionum incendium
excitaverunt; & Ecclesiam Dei multos annos fatiga-
verunt; alterna, quo falsa Evangelii specie boni-
tas ab Ecclesiæ reverentia, atque obedientia subtra-
here conati sunt, & Romani Pontificis potestatem
elevare: alterum, quo liberi nostri arbitrii indiffe-
rentiam in operando funditus evertere, remque esse
de solo ritulo, & jam non liberum, sed servum
arbitrium appellandum esse: hoc ergo tempore cum

venenum suum magna dissimulatione propinabat Lu-
therus, serpebatque malum in plures; (tantum in
animo pietatis vinculis exsoluto impotens potest au-
dacia!) contra utrumque dogma minimam nostram
Societatem divino munere insignitam erexit Conditor
omnium, & instruit Dominus Exercituum; can-
que sanctissimus Ignatius Fundator noster egregius
tam arte dedit Romano Pontifici, ut quarto so-
lemni obedientiæ voto contra Lutheri inobedientiam
obstrinxit, atque sacravit. Et doctissimos ejusdem
familie scriptores, ut canes ad custodiam, adversus
hos lupos advigilantes, CÆLESTI LUMINE
PERFUDERIT, HACQUE ILLUSTRAVE-
RIT SCIENTIA, qua libertas arbitrii contra
Lutherum, & Calvinum, aliosque sectarios defendi
possit . . . Itaque ut singulari obedientiæ vene-
num inobedientiæ, quod homines imbibebat, sanavit
Ignatius, ita hæc scientia conditionali satanicum
dogma contra libertatem funditus evertitur.

Claudet agmen Jesuita Typhanus libro de Or-
dine, deque priori, & posteriori cap. 24. aperte
professus, nullum alium Theologum ante Molinam,
ne per somnum quidem, de Scientia Mediæ cogi-
tasse; nec illam ullibi vel supposuisse, vel ad-
hibuisse.

Si quis autem distincta Theologorum suffra-
gia legere amat, qui gratiam se ipsa victricem
ante Banneium propugnarunt; doctissimi P. An-
tonini Reginaldi posthumum opus adeat, ubi to-
ta ferme parte 2. magna pompa, & singulari eru-
ditiōe profertur.

X L I V.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 217. & 218.) Libello finem imponit,
dato Lectoribus monito, ut qui gravem istam
de gratiæ se ipsa victrici controversiam addicere
amant, a Thomistarum lectione sibi caveant;
sed præcipuum in Suarezio studium ponant, quo
felicitius nemo impedimentis hoc de argumento
difficultates eliquavit.

ANIMADVERSIO.

Egregie monet vir Molinianus, quo suos in
fide contineat. Certe Ethicos Imperatores Chri-
stianorum librorum lectionem suis olim in-
terdixisse, ne divinam lucem adipiscerent, ve-
tus prodiit Historia: verum futuros his demum
temporibus aliquos, qui artem imitari palam;
suaque in commoda transferre vellent, vix quif-
quam existimasset. Ecce vero a Thomistarum
lezione cavendum monet? Nempe, inquit ille,
quia nemo prudens, ubi lis agitur, de partis ad-
versa meritis ex partis alterius instrumentis iudicium
feret. Sic sane: at cur ergo de Scholæ Thomi-
sticæ iuribus, ex unius Suarezii lectione statu-
tur? Legatur itaque Suarez; non invidio, mo-
do ne partis adverſæ Societatis scriptoribus Scho-
lasticis antepo-
no, ac summe veneror: utque de
illius honore sollicitus vivo, ita Daniele ad-
hortor, ut Cardinalis Perronii (cujus acre ju-
diciū superiori pagina tanti fecit) de eximio
viro censuram e Perronianis expungi curet, alias
periculum est, ne gratiæ congruæ studiosi, ab
ejus lectione, invitati licet, ac moniti deterrean-
tur.

(ia Perron. Tit. Suarez) Suarez est le plus
ignorant homme en antiquité, qu'il est possible.
Les Jésuites de Turin m'apportèrent un livre de
quoy ils faisoient grand cas. Je leur montray tant
de passages, si impertinément, si sottement, &
ignoramment rivés, que rien plus, & falsifiés aussi.
Le P. Coeffeteau dit qu'on le tenoit pour le plus
excellent Métaphysicien de tous les Docteurs. Je re-
pondis, mais le plus souvent, ce n'est que Sophis-
tique. Cely d'entre tous les Scholastiques, qui
a écrit plus mal de l'Eucharistie, c'est Suarez.
Quod ita Latine sonat. Suarez in factis, &
dogmatibus antiquis, mortalium omnium ignoran-
tissimus est. Librum ab illo editum obtulere mihi
Jesuitæ Taurinenses, magno apud illos pretio ha-
bitum. Quibus ego innumera testimonia intento di-
gito designavi, adeo inepte, stultide, & ignoran-
ter ab illo extorta, ut nihil magis, atque etiam
ominio falsa. Hunc acutissimum Doctorum om-
nium Metaphysicorum haberi dixit P. Coeffeteus:
cui respondi, sic ita; sepius tamen puris, puris-
sime Sophismatibus evanescit, Suarez Scholasticorum

omnium pessime de divina Eucharistia scripsit.

Hæc cum interim e Perronianis expungi cu-
rabit Daniel, alterum ego citra cuiusquam fe-
Thomistarum, seu Molinianorum invidiam, Le-
ctori meo monitum dabo, quo vicissim libello
finem imponam: certa que mihi spes est, fore
ut tanto ab æquis æstimatoribus plausu accipia-
tur, quanto ab iis ritu Danielis monito exce-
pta est. Tu autem, dilectissime, & venerandissi-
me mihi frater, si vere de his questionibus instrui
desideras, sicut desiderare te convenit; ipsis bea-
ti Augustini disputationibus cognoscendis impende
curam, ut in constituenda Dei gratiæ defectissimam,
ac saluberrimam Evangelicæ, Apostolicæque doctrinæ
intelligentiam consequaris. S. Prosperi verba sunt,
sub finem Epistolæ ad Rufinum.

En tota vestra causa impulsæ, prostrata, con-
victa, & sicut pulvis, quem proficit ventus a sa-
cie terra, sic a cordibus eorum, quos decipere ce-
peratis, si hæc voluerint, deposito contentiosis stu-
dio cogitare, projecta est. S. Augustinus lib. 2.
contra Julianum capite 3.

TOMI QUINTI FINIS.